PIUS PP. VIII.

Dilecte Fili, ac dilecta in Christo Filia salutem et Apostolicam Benedictionem. Spirituali consolationi vestrae quantum cum Domino possumus consulere, vosque
speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque
de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum Indulti assequendi gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus vestro nomine Nobis su-
per hoc humiliter porrectis permoti, ut itinere a Vobis per Russiacas, aliasque regiones pro tempore faciendo, Altare portatile debitis tamen cum honore et reve-
rentia habere, ac super eo, ubi Ecclesiarum commoditas defuerit, et in casu necessitatis tantum, per quemcumque Sacerdotem approbatum Saecularem, vel cujus-
vis Ordinis Regularem Sacrosanctum Missae Sacrificium in Locis ad id congruis et decentibus in vestra, ac aliorum, qui vos comitati fuerint praesentia celebrari
facere libere ac licite possitis et valeatis, et quilibet vestrum possit et valeat, Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non
obstantibus Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub
Annulo Piscatoris die XXI. Maii MDCCCXXX. Pontificatus Nostri Anno Secundo

J. Card. Albanus

№ 2447.

Exaratum in adversa parte huius paginae breve Apostolicum Sanctissimi Pii Papae VIII. in gratiam Illustrissimi Domini Adalberti Pustowski Actualis Consiliarii Status et Equitis, et suae Consortis Josephinae de Principibus Drucki Lubecki, nec non eorum, qui in comitatu fuerint, pro Altari Portatili in itinere, idque pro casu necessitatis editum, accedente beneplacito Augustissimi Imperatoris Nicolai I. cum hac expresse per Suam Maiestatem addita cautela, ne istud Altare aperiatur seu ponatur publice, sicut solet fieri in Templo vel Oratorio, sed privatim dumtaxat in conspectu solius dictae Familiae, Nos cum ea qua par est reverentia recognovimus, et in usum deduci permisimus. Datum Vilnae hac die Vigesima octava Mensis Julii. Millesimo octingentesimo trigesimo Anno.–

Electus Episcopus Chrysopolitanus Suffraganeus Vilnensis, Administrans Dioecesim Vilnensem, Canonicus Cathedralis, Philosophiae et S. Theologiae Doctor Ordinis S. Annae 2dae Classis Eques. Andreas Benedictus Klagiewicz.



Secretarius Vincentius Jezierski S. C.

Dilecto Filio Alberto ex Comitibus Costowski ac dilectae in Christo Filiae Josephinae Principissae Drucki Lubecki ejus uxori Vilnen.

32